

Sed quando filiorum uni relinquat, semper eadem manet, qualia sunt nostris temporibus primigenitorum feuda. Hoc autem Platonem voluisse clare eius verba testantur:⁵¹ *Quot sunt nunc nobis foci distributi numero, hosce oportere semper tot esse neque quicquam*
 5 *plures fieri neque pauciores.* Deinde subnectit:⁵² *Qui sortitus est portionem, relinquito semper huiusce domus unum solum heredem^{xi} suorum filiorum, quem maxime ipse voluerit.* Idem de agris etiam praecipit, reliquis vero liberis ita consulat, ut ibi Plato prolixius praecipit. Non ergo recta est Aristotelis reprehensio.

10 Quod deinde accusat omissum esse, quantam debeant magistratus habere substantiam, quid tum? Quantam alii cives. Neque verum est, quod ait Aristoteles:⁵³ *Cum etiam omnem substantiam sinit fieri maiorem, usque ad quincuplicem.* Nam haec sunt Platonis verba:⁵⁴ *Duplum sinit acquirere et triplum usque ad qua-*
 15 *druplum, plus vero si quis acquisiverit, iubet illi a civitate eam auferri diisque attribui.* Nec recte iterum obiicit Aristoteles:⁵⁵ *Cur id non fuerit in iugeribus quadamtenus?* Quia scilicet vult eam divisionem priorem firmam semper manere ob causas ab eo allatas, contra quas nihil audet obrectare. Sed quod reprehendit duas domos
 20 datas,⁵⁶ *difficile est duas habitare domos, id vero ridiculum est.* Cum etiam commodissimum sit duas et habere et alternis temporibus habitare.

⁵¹ ὅσαι εἰσὶ τὰ νῦν ἡμῖν ἐστίαί διανεμηθεῖσαι τὸν ἀριθμὸν, ταύτας δεῖν αἰεὶ τοσαύτας εἶναι καὶ μήτε τι πλείους γίνεσθαι μήτε τί ποτε ἐλάττους. [PLATO, Lg. 740.b.3 – 5]

⁵² ὁ λαχὼν τὸν κληρὸν καταλείπτω αἰεὶ ταύτης τῆς οἰκίσεως ἓνα μόνον κληρονόμον τῶν ἑαυτοῦ παίδων, ὃν ἂν αὐτῷ μάλιστα ἦ [εἶη] φίλον. [PLATO, Lg. 740.b.6 – 8]

⁵³ ἐπεὶ {δὲ} <καὶ> τὴν πᾶσαν οὐσίαν ἐφίησι γίνεσθαι μείζονα μέχρι πενταπλασίας. [ARIST. Pol. 1265b.21 – 23]

⁵⁴ διπλάσιον ἐάσει [ἐᾶσι] τούτου κτᾶσθαι καὶ τριπλάσιον καὶ μέχρι τετραπλασίον· πλείονα δ' ἂν τις κτᾶται. [PLATO, Lg. 744.e.4 – 5]

⁵⁵ διὰ τί τοῦτ' οὐκ ἂν εἶη ἐπὶ τῆς γῆς μέχρι τινός; [ARIST. Pol. 1265b.23]

⁵⁶ χαλεπὸν δὲ οἰκίας [οἰκειάς] δύο οἰκεῖν; [ARIST. Pol. 1265b.26]

^{xi} Corr. ex haeredem